

9 / 79

IDIBVS SEPTEMBRIBVS
MCMLXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS duodecies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(quotannis)

In Helvetia Fr. 8.80
In Germania DM 11.--
In Austria öS 90.--
In reliqua Eu-
ropa Fr. 13.--
In terris trans
maria sitis Fr. 18.--

Speciminis exempla gratis
mittuntur, ut id rogatur

Collegium redactorum:

Ulricus Aeschlimannus
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patricius Hardmeier
Thomas Wichteremann

Impressum et acceptio re-
rum legentibus publicanda-
rum:

Franciscus Bachmannus

Typographeum:

Copy Quick, Turicum

Domus editoria
(epistulae, mandata):

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS806.134. J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
UNTER DEM Patronat der AKAD
herausgegeben

RVMOR VARIVS erscheint 12 Mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreise:
(jährlich)

Schweiz Fr. 8.80
Deutschland DM 11.--
Oesterreich öS 90.--
Übriges Europa Fr. 13.--
Uebersee Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Thomas Wichteremann

Graphik und Layout:

Franz Bachmann

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz):

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen:
Schweizerische Bankgesellschaft

RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus lectoribus salutem
dicit plurimam!

Placuitne etiam vobis superior libellus Idibus
Iuliis et Augustis editus? Egomet eo maxime de-
lectatus sum. Praeclare enim nobis ante oculos
fert hoc exemplar hanc veterem linguam Latinam,
qua homines iam ante MM annos se exprimere so-
liti sint, etiam nostris temporibus sine ulla
difficultate adhiberi posse, ubi res ad tempora
moderna pertinentes describendae sint! Nunc iam
diutius quam unum annum RVMOR VARIVS floret et
viget; puto adhuc nonnullis epistulis fabulis-
que in eo praepositis iam satis demonstratum
esse linguam Latinam semper vivere! An huius
facti exempla optima non sunt illae duae fabu-
lae, quae nuper Dr. Jürg Bleiker 'de commissario'
et Dr. Emanuel Bernard de suo somnio ob-
scuro scripserunt? Maxime cupidus sum cognos-
cendi finem huius somnii, quem auctor in hoc
libello narraturum esse pollicitus est!

Ceterum invenietis in hoc RVMORE VARIO novum
opus amici nostri Martini Meier, qui in libello
Idibus Iuniis edito illud carmen clarum Germa-
norum lingua 'Munotglöcklein' appellatum in La-
tinum transtulit. hic hodie iterum se interpre-
tem optima indole praeditum esse probat novo
opere, quod ut superius et legi et cantari pot-
est! De sententia huius novi operis in hac prae-
fatione nihil enuntiare velim; quaerite, inve-
nietis! Sed etiam amicus noster Jürg Bleiker in
pagina vobis quaerenda novam fabulam proponit!
Quid memorem novum aenigma? Et illud inveniat.
Spero hanc variationem rerum in RVMORE VARIO
propositorum vobis his diebus autumnalibus ali-
quod lumen solare in domos vestras illaturam
esse! Valete!

Ulricus Aeschlimann redactor

Iter feci in agrum Polensem...


Cum, summa aestate, sol maxime arderet, tamen non modo voluptatibus aquarum in agro Parentino me dare volui, sed magno artium amore commota in agrum Polensem iter facere constitui vestigia veterum Romanorum quaerens.

Dis faventibus paulo post solis ortum Colonia Iulia Parentium (Porec) decessi atque Via Flavia curru expedito vecta Polam maximam in urbem Histriae, tertia hora, perveni. Pola urbs maritima, cui hodie nomen Pulae est, portu praeclaro navali-busque multis aliis Histriae urbibus antecellit. Magnus enim numerus mercatorum undique cum mercibus atque oneribus huc commeant permultaeque naves longae in portum appelluntur.

Animi autem quorundam viatorum egregiis monumentis antiquorum Romanorum alliciuntur. 'Pietas Iulia' vel 'Pola' iam aetate Divi Augusti mercatura florebat. Portus celeberrimus erat et, media aestate, multi nobiles Romani Polae otio fruebantur.

Haud longe a mari magnum amphitheatrum Augusto imperatore constructum situm est. Inter omnia monumenta huius generis Imperii Romani, quae nobis nota sunt, amphitheatrum Polense sextum locum obtinet. Viginti tria milia spectatorum accipere poterat atque potest, nam nostris temporibus quoque spectacula varii generis in amphitheatro praebentur. Cavea triginta ordines amplectitur. In singulis sedibus olim nomina dominorum incisa sunt. Ludi gladiatorii hic dabantur atque bestiarii plausum spectatorum quaerebant. Prope theatrum ludus* gladiatorius fuisse dicitur. Verisime est ludos navales non in theatro sed in litore factos esse, litora agri Polensis enim nonnullis in locis quasi speciem amphitheatri naturalis praebent. Hodie

Locus aequaliter declivis ad mare vergit. Itaque pars amphitheatri adversus mare sita tria tabulata, pars in colle sita duo tabulata amplectitur!



Aenigma

spectatores non iam ludis sanguineis sed ludis scaenicis delectantur.

In museo subterraneo instrumenta ad usum vitae agricolarum mercatorumque necessaria velut prela amphoraeque omnis generis exponuntur. Memoria veterum Romanorum ex Histria olea vinaque in alias provincias exportata sunt. Plinius Maior in opere illo 'Naturalis historia' Histriae mentionem facit oleumque Histricum his verbis collaudat: "Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe maxime agro Venafro... reliquum certamen inter Istriae terram et Beticae par est." (Naturalis historia XL 8). Olea, olivae, vina garumque magnis amphoris Romam aliaque in oppida velut Aquileiam, Tergeste, Mediolanum, Augustam Taurinorum ... exportabantur. Quoddam amphorae fragmentum in agro Norico inventum nos certiores facit de olei origine: "Olei Histrici flos p(ondo) V...Q. Tusidi Dextri." Amphora illa continuit oleum Histricum optimae qualitatis ex horreo cuiusdam Quinti Tusidi Dextri. Sed discedamus locis subterraneis et petamus loca superiora. Ecce viae expeditae foraque Polae hominibus laetis repleta! Inter aedificia nostrae aetatis multae aliae reliquiae monumentorum Romanorum indagari possunt. In antiquo foro Romano Curia Polensis magna ex parte templo antiquo inserta est. Et iam oculi nostri incidunt in illud templum Divi Augusti Christo puero erectum. Quam ornata est illa Porta aurea erecta in honorem generis nobilis Sergii, quam lepida est illa Porta gemina arcibus duobus lautissimis praedita! Agedum homines mulieresque doctissimi studioseque in veteribus scriptoribus versati! Doctrinam vestram ad usum transferatis. Ne diutius intra parietes vos teneatis. Itineribus laetis animis vos detis atque oculos vestros monumentis antiquis agri Polensis pascatis. Utinam di immortales inceptis vestris faveant!

*hier: Schule

Barbara Maier

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS OCTOBRIEVS MCMLXXIX EST!

PRÆMIA SVNT: primum praemium: LIBER
secundum praemium: LIBER PARVVS
tertium praemium: LIBER PARVVS

ad libram: 1. cupidus officia gerendi 8. deus Romanus
9. navis parva 11. consuetudo 13. coniunctio
14. corpus operis angelorum (breviterscriptio)
17. cogito ... sum 18. inconsideratus 19. in flammis esse 20. nec femininum nec neutrum

ad perpendiculum: 1. elementum quod ad decorationem pertinet
2. cera dulcis ab apibus facta 3. ... ergo sum
4. filia Priami Troiani 5. avis in aqua vivens
6. helios 7. homo prodigus 10. urere (imperativus) 12. claude! 14. coercere (radix verbi)
15. sagittarius notus 16. amare (con.2.ps.sg.)
17. eruo, ... , erutus

1		2		3	4	5	6		7
		8							
9								10	
11	12								13
			14					15	
		16				17			
18									
19									
20									

QUOMODO AVIA SOMNIVM INTERPRETATA SIT, NARRATUR

Ut sequentia, cari amici, intellegatis, opus est lectis illis, quae in proximo libello de somnio meo narraui. Nempe quomodo avia coniecturam somnii fecerit, hic exponam. Vix finem feceram narrandi, cum his fere verbis in me invexit:

- Istud somnium re vera tui simile est, puellarum aeterne venator!
- Et ego summopere miratus: ain' tu? Me puellarum venatorem esse dicis? Avia mea! Quid hoc novae rei? Unde haec tibi fabula?
- Mi anime, divinatione opus non est. Somnium tuum te tradidit. Ceterum aviam tuam tam stultam omniumque rerum ignaram putas esse, ut, quod omnes sciunt, ignoret? Amabo, te nihil aliud agere nisi sectari puellas quis ignoret? Ex animi sententia loquamur, sodes!
- Optima aviarum! Re vera me terres. Nonne meministi, quam timidus fuerim puer?
- Ut puer? Pro Iuppiter! Certo memini timidissimum te fuisse puellasque fugisse ut veneficas. At, mi amice, ex illo tempore aliquot iam anni lapsi sunt neque iam puer es. Quot annos natus es?
- Quadraginta.
- Quadraginta? Maxime Iuppiter! Atque nihil curas adhuc nisi puellas! Pudeat te!
- Avia mea dulcissima! Aures, quaeso, praebe mihi! Primum: erras vehementer. Deinde: si vere res ita se, ut dicis, haberent, essetne pudendum?

- Desine, quaeso! Etenim quae dixi, inter omnes constat. Ut Germani dicunt: 'Das pfeifen die Spatzen von den Dächern', quod dictum quomodo Latine vertam, ignoro. Ad verbum dicam: 'Id passeret clamant de tectis'.
- Esto, esto, dulcissima mea! At hodie non veni domum tuam, ut litigarem tecum, sed ut audirem, quid de somnio meo diceres. Incipe tandem, obsecro, coniecturam facere!
- Hercle! Me iam coepisse nonne sensisti?
- Nimirum sensi: de puellarum meo amore praedictasti, sed eadem verba identidem facere noli!
- Immo vero repetere opus est, ut postea ad cetera transeam. Cetera enim jaec sunt: Tempestas orta et pluvia ingens, cum autoraedam conscendisti, te tuumque amicum prohibuerunt, quominus ad balneas virginesque vestras spectandas perveniretis. Tempestates autem signa sunt infestissima, quae cum per somnum videantur, condiciones significant somniantis esse iniquas, quin etiam pessimas.
- Mitte iocos, obsecro!
- Nihil iocor tecum. Tempestas te rectam viam et honestam amisisse et alta voce 'Nosce te ipsum!' clamat et altiore etiam voce te monet: 'Os tuum in speculo contemplare!' Nonne vides, quantum deceat senem nitidas sectari puellas? Nonne te animadvertis ludibrio puellis esse, quippe qui aetate provecta tua pater possis earum esse?
- Desiste, avia mea, animum meum cruciare! Plane infelicem me noli reddere!
- Anime mi! Tu me voluisti interpretari somnium. Ergo nunc patienter me audias! Etenim finem nondum feci. 'Nunc animis opus, Aeneâ, nunc pectore firmo!', ut ait Vergilius. Animum attende! Turbam autoraedae vobisque circumdatam clamantem vosque irridentem quidnam significare putas? Quidnam aliud nisi conscientia te morderi turpitudinem?

tudinis tuae? Cum enim tu te ipsum irridere noluisse, conscientia mala, ut ait Sigismundus Freud, per somnum tibi misit imaginem illam, qua irridereris. Intellexistine?

- Intellexi, at cur sim irridendus nimirum es, quod puellas sectaris et venaris ut tuae aetatis vir, quasi senex.
- 'Pro Iuppiter!' dicis etiam atque etiam, dulcissima avia. Et ego tibi dicam: Iuppiter ipse, quem testem advocas, exemplo mihi est, quippe qui multo me maior natu milies plures puellas sectatus est quam ego.
- Fave linguae, mi puer! Verere Iovem! An illud ignoras 'Quod licet Iovi, non licet bovi?'
- Ego ergo tuo iudicio bos sum?
- Mi anime, boves sumus omnes pro Iove. Nunc vero habeo, quod de somnio tibi dicam gravius: nam amicus tuus, qui ad balneas te invitavit, amicus verus non est, cum te destituerit.
- Mene destituit? Cur ita?
- Decepit te destituitque, utpote qui primo multa de autoraeda sua et de puellis visendis praedicavisset, tum autem ad vehendum autoraedā potens non esset.
- Minime, optima avia! Stultus ille forsitan sit, falsus non est. Nunc re vera rem in maius extollere videris.
- Stultus vel falsus, quid differt?
- Differt plurimum. Praeterea somnia vana esse puto.
- Non sunt vana! Vera sunt! At homines, quae eis displicent, non credunt.
- Dulcissima vates mea, gratiam tibi habeo plurimam, cum maximopere gavisus sim interpretatione tua. De verbis tuis meditabor. At iam me tempus alio vocat. Tu valebis!

- Valetō! Salutem dic matri et patri!

His verbis me dimisit.

Dr. Emanuel Bernard

SOLVTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Hic sunt, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

q
u
o
d
e
r
a
t
d
e
m
o
n
s
t
r
a
n
d
u
m

primum praemium:

Fräulein
Elisabeth Schädeli
3005 Bern

secundum praemium:

Herr
Bernhard Christen
3322 Schönbühl

tertium praemium:

Herr
Andreas Sutter
8050 Zürich

Vicus Lacus Palustris, a.d.X.Kal.Sept.
anni MMDCXXXI. a.u.c.

Martinus RVMOREM VARIVM legentibus salutem!

Hodie vobis de viro ut Bernensi ita noto in tota
Helvetia narrabo:

Iohannis Petrus Matter, quem primo amici deinde
homines omnes 'Mani' nominabant, natus est Bernae
anno MCMXXXVI. p. Chr. n. Scholis peractis iuribus
studuit, quorum studio finito urbi Bernae iuris
peritus serviebat. Clarissimum fecerunt eum carmi-
na in lingua Bernensi scripta: non pascua, rura,
duces, sed populum eiusque curas gaudium actaque
canebat. Comitante cithara melodiis simplicissimis
poemata auditoribus praebebat. Monstrabat ita pul-
cherrimam esse linguarum Bernensem, si neglegamus
Latinam scilicet!

Obiit iam anno MCMLXXII. p. Chr. n., cum automobili
Turico domum revertebatur. Homerum illum Bernensem
multi seu intra seu extra Bernae muros imitari
temptabant partim carmina vere pulchra creantes,
sed ingenium Mani Matteri numquam assequentes.
Equidem Matterum eiusque opera tantopere veneror,
ut carmina nonnulla linguae Latinae adaptare coner.
Quorum paucis iam versis vobis hodie exemplar unum,
quod titulo originali "Dr Ferdinand isch gschtorbe"
inscribitur, demonstrem. Si placuerit, sequentibus
mensibus alia carmina Matteriana in lingua Latina
scripta publicabuntur.

DEFVNCTVS FERDINANDVS,
- VAE MIHI MISERO! -
DEFVNCTVS FERDINANDVS,
GRAVITER DOLEO.
CVI ERAT PROPAGANDVS
AMOR IN TRIBIBVS.
DEFVNCTVS FERDINANDVS
PAVPERRIMVS.

QVAM MEO FERDINANDO
GAVISVS SVM EGO!
TAM FELE ADMIRANDO
DONABITVR NEMO.
QVEM AMOR AGITABAT,
NON AVES NEC MVRES,
EXEMPLVM MIHI DABAT
MAS HIC FELES.

CVM EVM VNIVERSAM
PER VITAM CARMINA
IN HORTIS AVDIEBAM
CANENTEM DVLCIA,
AMICAE COR MOVEBAT
CVM VOCE AVREA;
VT FELIBVS CANEBAT
SIC NON FRVSTRA.

SIC MAXIMA EST NATA
EX EO SVBOLES,
QVAE EIVS CONSOLATA
EST MORTIS MEMORES.
PERMVLTU NATI EIVS
PERLVSTRANT OPPIDA,
NECAVIT CVM VELLEIVS
EVM PLAGA.

SVNT - ET SVNT PVNIVNDI! -
QVI ARTEM ODERINT,
ARDOREM COEVNDI
NON IPSI NOVERINT.
SIC VITAM MISERANDI
MATELLA FINIVIT
VELLEIVS FERDINANDI,
QVI OBIIT.

DEFVNCTVS FERDINANDVS,
- VAE MIHI MISERO! - ,
DEFVNCTVS FERDINANDVS,
GRAVITER DOLEO.

CVI ERAT PROPAGANDVS
AMOR IN TRIBIBVS.
DEFVNCTVS FERDINANDVS
PAVPERRIMVS.

Valete!

Martinus Meier

Ihre Bank: Bankgesellschaft



Schweizerische Bankgesellschaft



SVBNOTO RVMOREM VARIVM:


Ich bestelle RVMOR VARIVS für mich:

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONVM DATVM ALICVI
(Factura subnotationis
mittenda est ad adres-
sam supra stantem)

Ich bestelle RVMOR VARIVS als Ge-
schenk für jemand andern:
(Mit Rechnung an obige Adresse)

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

9 / 79

IDIBVS SEPTEMBRIBVS

MCMLXXIX



RVMOR VARI

